

hoc non agitis, vel dormire satius est noctesque diesque, quam vigilare in laboribus publicis, nulli utilitati hominum profuturis. Nec sanè dubito Excellentiam tuam .....

## EPIST. \* CCLXI.

Oceano Augustinus.

\* Al.  
CCLX.

*Domino meritò charissimo in Christi membris, honorando fratri,  
Oceano, Augustinus salutem.*

**D**uas accepi simul epistolas Dilectionis tuæ, quarum in una facis tertix mentionem, & eam te prius misisse commemoras, quam accepisse non recolo: imò bene mihi recolere videor, quòd non acceperim. De iis tamen, quas accepi, ago uberes gratias benignitati erga nos tuæ. Quibus ut non continuo responderem, in alia atque alia diversarum occupationum tempora direptus sum. Unde nunc stillam vacantis temporis nactus, respondere aliquid malui, quàm ad tuam sincerissimam charitatem diuturnum habere silentium, & fieri taciturnitate, quàm loquacitate, importunior.

De origine animarum quid S. Hieronymus sentiat, jam sciebam, & hæc ipsa, quæ ex libro ejus in epistola tua posuisti, verba jam legeram. Verùm non hoc quæstionem molestam facit, quod movet quosdam, quomodo Deus adulterinis etiam conceptibus justè animas largiatur; cum bene viventibus, & ad Deum fide ac pietate conversis, ne propria quidem, quanto minùs parentum, possint obesse peccata. Sed meritò quæritur, si verum est, novas ex nihilo animas singulas singulis nascentibus fieri, quomodo tam innumerabiles animæ parvulorum, quas Deo certum est ante rationales annos, antequam quicquam justum injustumve sapere vel capere possint, sine baptismo de corporibus exituras, justè in damnationem dentur, ab illo utique, *apud quem non est iniquitas*? Non opus est de hac re plura dicere. Cum scias, quid velim, vel potius quid nolim dicere, satis existimo sapienti esse, quod dixi. Veruntamen si aliquid hinc, quo ista quæstio solvi queat, vel legisti, vel ex ore ejus audisti, vel tibi ipsi Dominus cogitanti donavit, ut noveris, impartire, obsecro, mihi, ut gratias uberiores agam.

Ad Rom. 9.  
14.

Illud verò de officioso utiliq; mendacio, quod exemplo Domini de die & hora hujus seculi finiendi, nec Filium scire dicentis, putasti esse solvendum; conatu quidem ingenii tui, cum legerem, delectabar; sed nullo modo mihi videtur tropicam locutionem rectè dici posse mendacium. Non enim mendacium est, cum diem letum dicimus, quòd lætos faciat; aut tristem lupinum, quòd gustantis vultum amaro sapore contristet; sicut Deum scire, cum cognoscentem hominem facit: hoc

Marc. 13.  
32.

Gen. 32, 18.

LIIII 3

enim